

quibus sub conditionibus contractus aliquis obliget, dependet ex speciali contrahentium pacto, seu conventionione, qua legem mutuo obligantem sibimet imponunt. » Per rationem, et jura jam allegata. Et quoniam sensus regulæ ex se clarus est, opus non habet, ut exemplis juris declaretur: præsertim cum quivis sibimet exemplare formare facile possit; si enim vendis domum tuam mutua sub conventionione, ut pretium simul, vel per partes, hoc vel illo tempore, in hac, vel illa moneta, hoc vel illo loco solvatur: eo modo, quo conventum est, solvendum erit per jura allegata.

4. *Fallit regula, quando privata conventio est contra substantiam contractus: aut jus publicum.* — Quæritur II. An, et quas præsens regula habeat fallentias? Resp. eam fallere primo, quando conventio contrahentium fit contra formam substantialem, seu essentialem contractus a jure præscriptam: seu, si est contra jus commune, et publicum, arg. l. *Leges*, 7, C. de *Legibus et constit. princ.*, ibi: « Leges, et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, » et l. *Jus publicum*, 38, ff. de *Pactis*, ibi: « Jus publicum privatorum pactis mutari non potest, » juncto c. *Si diligenti*, 12, in fin. de *Foro compet.*, ubi dicitur: « cui (indulto publico) privatorum pactio derogare non potest. » Hinc, quia de substantia, et essentia cujusvis contractus est consensus, quævis conventio irrita habetur, ubi verus deest consensus, l. ff. de *Pactis*. Et ideo regula intelligi debet de conventionione circa accidentalia, non vero circa formam substantialem contractus, utpote quæ invariata manere debet. Strein, hic n. 3, cum communi aliorum, arg. l. *Novationum*, 8, C. de *Novationib.*

5. Dicitur autem notanter: « contra jus commune, aut publicum: » siquidem « pactum, per quod tollitur jus privati sibi publica auctoritate concessum valet: secus, si tolleretur jus commune, » ut ait Rubrum in l. *Jurisdictionum*, 7, § *Si paciscar*, 13, ff. de *Pactis*. Hinc quamvis in favorem emptorum jure cautum sit, quod venditor teneatur de evictione, etsi in contractu emptionis vel venditionis nil fuerit expressum; tamen si venditor et emptor specialiter conveniunt, quod ille de evictione non teneatur, conventioni huic standum est, prout amplius dictum et probatum habetur lib. III, tit. XVII, § 12.

6. *Item, si turpis, aut inhonesta, seu de re turpi, inhonesta, etc.* — Fallit secundo, si con-

ventio contrahentium est turpis, vel de re turpi, inhonesta, aut impossibili, de jure, vel de facto c. fin. de *Pactis*, in fin. ibi: « Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, rei turpis, aut impossibilis de Jure, vel de facto nullam obligationem inducit. » Hinc « Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur; hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est, » uti dicitur cit. l. *Contractus*, 28, ad fin. ff. de *Reg. jur.*, juncto c. *Nemo potest*, 6, de *Reg. jur.*, in 6, ibi: « Nemo potest ad impossibile obligari. » Huc serviunt etiam dicta supra ad eis, reg. 6 et ad reg. 69.

## REGULA LXXXVI.

DAMNUM, QUOD QUIS SUA CULPA SENTIT, SIBI DEBET, NON ALIIS IMPUTARE.

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *Quod quis*, 203, ff. de *Reg. jur.* ibi: « Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. »

2. *Non tantum ex sua culpa, sed etiam qui ex causa, quam ipse sine delicto præbet, damnum sentit, sibi imputare debet.* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis regula ex se perspicua videatur, tamen notandum, quod per verba, *sua culpa*, intelligatur non tantum quævis causa, quamquis ipsemet, etiam absque dolo et ullo delicto, libere præbet ad damnum incurrendum: sic enim, si quis, dum dimidium rei, prædii v. g. pacifica transactione acquirere posset, putans, se habere justam causam, bona fide actionem in iudicio pro toto acquirendo instituit, et succumbendo totum perdit, ac insuper ad expensas condemnatur, damnum sibi ipsi imputare debet, quia etsi nullam culpam, vel dolum commiserit, causam tamen damni ipse præbet, sua sponte præeligendo litem. l. *Ipsè dispice* 1. C. de *Edendo*. Sic etiam, qui bona fide, absque ulla culpa vel dolo compromittit in arbitros, horum sententiæ, etiam minus justæ, et sibi plurimum damnosæ stare, sibi, et non aliis imputare debet damnum inde secutum, quia ad id ipsemet causam præbet, sponte compromittendo in arbitros. l. *Dies proferre* 27, § 2, ff. de *Receptis, qui arbitrium*, ibi: « Stari autem debet sententiæ arbitri, quam de se dixerit, sive æqua, sive iniqua sit: et sibi imputet, qui compromisit. Nam et divi Pii

## REGULA LXXXVII. INFAMIBUS PORTÆ NON PATEANT DIGNITATUM. 481

rescripto adjicitur: vel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debet. »

3. *Idem est, si jacturam lucri.* — Notandum ulterius, verbo *Damnum* in regula non tantum damnum positivum, sed et lucri carentiam intelligi, ita ut sibi, non aliis imputare debeat, sive damnum, sive carentiam lucri sentiat ex sua culpa, seu causa, quam ipse præbet; cum damnum pati, et lucrum perdere, paria sint arg. l. *Proinde*, 22, in fin. ff. de *Leg. Aquil.* Hinc clericus, cui primo vacatura præbenda per Sedem apostolicam fuit concessa, si eam, quæ primo vacat, petere negligit, sibi imputare debet, quod carentiam totius incurrat gratiæ. c. *Si clericus*, 11, de *Præbend.* in 6, ubi ratio additur illis verbis: « Cum facta et gratia per ipsius negligentiam sit extincta. » Idem est de aliis beneficiis et gratiis ad certum tempus promissis, ac neglectis: quia universaliter jura vigilantibus sunt scripta. l. *Pupillus*, 24, ff. *Quæ in fraudem creditor*, in fin. ibi: « Jus civile vigilantibus scriptum est. » Hinc

4. *Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus regulæ sensus sequens est: « Damnum vel jacturam lucri, quam quis sentit ex sua culpa, vel causa, quam ipsemet libere præbet, sibi, et non aliis imputare debet. » Ratio regulæ est, tum quia « Non debet aliquis alterius odio prægravari, » c. *Non debet*, 22, de *Reg. jur.* in 6; tum quia culpa suos, non alienos tenet auctores. l. *Sancimus*, 22, C. de *Pænis*, ibi: « Peccata igitur suos teneant auctores: nec ulterius progrediatur metus, quam reperitur delictum; » tum quia effectus suæ causæ, non alteri imputandus est, arg. c. *Cum cessante causa*, 60, de *Appellatione*.

5. *Declaratur exemplis.* — Declaratur, et firmatur regula amplius exemplis juris; præter enim jam allegata ulterius pro exemplo servit, quod, si procurator, aut negotiorum gestor indebitum solvit, sibi, non Domino damnum imputare debeat. l. *Si quis*, 23, ff. de *Negot. gestis*. ibi: « Si quis negotia aliena gerens, indebitum exegerit, restituere cogitur, de eo autem, quod indebitum solvit, magis est, ut imputare debeat. » Sic etiam, si *quis* sociorum ex suo delicto in pœnam incidit, sibi soli imputare, ipseque solus, non consocii sentire debent. l. *Cum duobus*, 52, § fin. ff. *Pro socio*. et l. 53, ff. eod. ibi: « Quod autem ex furto, vel ex alio maleficio quæsitum est, in societatem non

oportere conferri, palam est: quia delictorum turpis atque fœda communitio est. » Sic ulterius, qui absque inventario hæreditatem adit, indeque damnum sentit, sibi, suæque improvidentiæ, non aliis imputare debet. l. fin. C. de *Jure deliberandi*, etc.

6. Sic rursus, si quis ex præscriptione rei suæ damnum patitur, suæ negligentiam adscribere habet, quod intra præscriptionis tempus de rebus suis non indagaverit, easque vindicavit. arg. l. 1, ff. de *Usurpat. et Usucap.* Sic etiam, qui ad societatem negligentem socium assumit, indeque damnum sentit, hoc sibi imputare debet. § fin. *Inst. de Societ.* « Qui parum diligentem socium sibi assumit, de se queri, sibi, et hoc imputare debet. » Sic pariter, qui administrationem rerum suarum imperitis, ac ineptis committit, vel servos minus habiles conducit, damnum inde sequens sibi imputare debet. l. *Videamus*, 11, ff. *Locati*.

7. *Projiciens aliquid ex alto, et prius non clamans reus damni inde secuti est; secus si clamat.* — Sic ulterius, si putator, ramos ex arbore dejiciens, vel alius machinarius in tempore clamat, ut prætereuntes, a periculo sibi caveant, et hi cavere negligant, his, non illis damnum, etiam homicidium secutum imputandum; secus si non tempestive, vel penitus non clament. l. *Si putator*, 31, ff. de *Leg. Aquil.* ibi: « Si putator, ex arbore ramos cum dejiceret, vel machinarius hominem prætereuntem occidit: ita tenetur, si is in publicum decidat, nec iste proclamavit, ut casus ejus evitari possit, » etc. Sic innumera alia in quavis fere materia reperiuntur juris exempla.

## REGULA LXXXVII.

INFAMIBUS PORTÆ NON PATEANT DIGNITATUM.

1. *Regula unde?* — Hæc regula desumitur ex l. 2. C. de *Dignit.*; ibi: « Neque famosus et notatus, et qui scelus, aut vitæ turpitudine inquinat, et quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt. »

2. *Sicut infamia duplex est, juris nempe, et facti: ita alii sunt infames infamia juris, alii infamia facti.* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum, infames alios esse infamia juris, seu de jure: alios infamia facti, seu ex facto, prout nempe infamia est, qua laborant; hæc siquidem



duplex est, *Juris* nempe, et *facti*. Infamia juris est, quæ ex dispositione ipsius juris contrahitur ob certa delicta: idque vel statim ipso facto: vel per sententiam iudicis. Et hæc infamia inquinati dicuntur infames infamia juris, vel infames de jure. Infamia facti est, quæ non quidem ex juris dispositione, sed ex talibus factis, et delictis contrahitur, propter quæ bona opinio, atque existimatio apud probos ac honestos viros gravatur: et hæc infamia notati vocantur infames infamia facti, seu ex facto.

3. *Infames infamia juris quinam in specie?* — Quam autem in specie sint infames infamia juris, aut de jure, patet ex integris duobus titulis, videlicet ff. *de His, qui notantur infamia*, et C. *Ex quibus causis infamia irrogatur*, de quibus etiam specificè habes lib. V, tit. XXXVII, *de Pœnis*. § 3, hic solum est addendum, quod omnes, qui de jure civili infames sunt, etiam infames de jure canonico habeantur can. *Omnes*, 2, cau. 6, q. 4, ibi: « Omnes vero infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant, » intellige, nisi infamia per jus civile introducta, a jure canonico sit sublata: prout factum est circa secundo nabentes intra annum luctus c. penult. et ult. *de Secundis nuptiis*. Porro infames in specie de jure canonico ad longum enarrantur can. *Infames*. 17, cau. 6, q. 4, cujus textum, quia cit. lib. V, tit. XXXVII, § 3, per extensum jam adduximus, eum ibidem, vel in fonte lege, ne superflua fiat repetitio. His notatis.

4. *Ponitur verus sensus regulæ. Adjuvantur rationes, cur infames, sive de jure, sive de facto, non sint assumendi ad munera honorifica.* — Resp. ad quæstionem n. 2, positam: Regula intelligi debet juxta sequentem proprium illius sensum: « Quicumque sive juris, sive facti infamia infamis est, ad dignitates et munera honorifica assumi, et admitti non debet. » Per jura hæcenus allegata. Ratio regulæ est, tum quia ad dignitates illi tantum sunt promovendi, qui integritate vitæ et morum probati, iis, quibus præsent, verbo et exemplo efficaciter prodesse valent. arg. c. *Cum in cunctis*. 7, *de Elect.* quod præstare non possunt infames, utpote qui ipsimet rei monere, et corrigere vel non audent: vel si monent et corrigunt, parum aut nihil fructificant, Deo verba illorum minus secundante, et subditis eos non æstimantibus, sed despicientibus (infames enim despiciuntur, arg. cit. l. 2, C. *de Dignit.*) ac per conse-

quens monita et correctiones eorum non attendentibus; cujus enim vita despicitur, ejusdem etiam prædicatio contemnitur, ut ait S. Gregorius Hom. 12, *in Evang. Matth.* Hinc S. Paulus in *Epist. 1, ad Timoth.* III, 2, 3, merito docet, eum, qui in dignitate episcopali existit, debere esse *irreprehensibilem*, — *sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem*, — *non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, etc.*, et ad Tit. II, 7, 8, qui *in omnibus se ipsum præbeat exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex averso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*. Quæ cuncta etiam de aliis Superioribus, et dignitate fulgentibus ob non exiguam paritatem rationis cum proportione intelligenda sunt;

5. *Dignitas et honor sunt præmium virtutis.* — Tum quia dignitas et honor sunt præmium virtutis consequenter virtute fulgentibus, non criminosis conferenda: « cum utique unumquemque criminis non dignitas debeat, sed pœna comitari, » ut dicitur l. *Ne quis* 38, in fin. C. *de Decurionib.*; tum quia, ut Strein *hic*, cum aliis bene advertit, si infames, et criminosi ad dignitates, et honorifica munera assumuntur, vel admittuntur, ex probro, et macula infamiæ pascitur in animis hominum ipsius etiam dignitatis contemptus, ita, ut ex eorum promotione non tam honorentur infames, quam infamentur honores ac dignitates. Addit Peek. hic et aliam rationem, cur infames ad dignitates et honores non sint assumendi; quia videlicet, si malitia potestatem dignitatis adjunctam habet, novum robur recipit, et nervos intendit, liberiusque, ac sæpius delinquit, dum per dignitatis potestatem fulcita facit, quod lubet.

6. *Infames infamia juris a dignitatibus non tantum impedit sed us etiam privat: requiritur tamen ad id sententia iudicis.* — Porro infames ad dignitates et honores non tantum non assumendi, sed ab eisdem, si quos jam habent, etiam removendi sunt, l. *Judices*. 12, C. *de Dignit.* ibi: « Judices, qui se furtis et sceleribus fuerint maculasse convicti, ablatis codicillorum insignibus, et honore exuti, inter pessimos quosque et plebeios habeantur: nec sibi posthac de eo honore blandiantur, quo se ipsos indignos judicaverunt; » juncta l. *Infamia*. 8, C. *de Decurion.* ibi: « Infamia, quæ tibi abominanda est, —

CERTUM EST, QUOD IS COMMITTIT IN LEGEM, QUI LEGIS VERBUM COMPLECTENS, CONTRA LEGIS NITITUR VOLUNTATEM.

1. *Regula, unde?* — Desumpta habetur hæc regula ex l. *Non dubium*. 5, c. *de Legibus et constit. princ.* ibi: « Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec pœnas insertas legibus evitabit, qui se contra juris sententiam sæva prærogativa verborum fraudulenter excusat. »

2. *Quomodo intelligenda?* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus sensus illius sit? Ante responsionem notandum præsentem regulam reprehendi, et pro veris transgressoribus legis haberi illos, qui prætextu nudi sensus verborum, in lege contentorum, eam pro suo interesse, contra satis sibi notam mentem et intentionem legis, seu potius legislatoris, fraudulenter interpretantur, et observant. Quamvis enim ob inopiam verborum, et copiam variorum improvisorum eventuum et casuum lex verbis propriis tam clare non possit exprimi, quin subinde, spectando nuda verba, ad alium sensum, quam mens legislatoris est, trahi valeat: tamen, quia dicta mens, voluntas, et intentio aliunde, ut puta ex fine, et ratione, vel occasione latæ legis, vel aliis circumstantiis ordinariè sufficienter desumi potest, merito a regula ut transgressores legis arguantur, qui voluntatem, et mentem legislatoris præfato modo satis perspectam habentes, contra eandem mentem prætextu nudorum verborum legem pro suo commodo fraudulenter interpretantur, et observant arg. cit. l. *Non dubium*. ibi: « fraudulenter. » Hoc notato.

3. *Ponitur verus sensus illius.* — Resp. ad quæstionem; Regula intelligenda est in sequenti proprio illius sensu: « Contra legem delinquit, verusque transgressor legis habetur, qui voluntatem, mentem, seu intentionem legis, sive potius legislatoris sufficienter perspectam habens, contra ejusdem mentem fraudulenter interpretatur, et observat legem. » Siquidem uti bene observat Glossa in can. *Plerique*. 3, cau. 14, q. 3, v. *Præcepta*. Nolunt quidem facere contra legem, sed faciunt fraudem legi: ille autem fraudem legi facit, qui nuda verba observans veram sententiam, et mentem ipsius circum-

quæsitum tibi adimit honorem, » quod specialiter etiam de dignitatibus, officiis, et beneficiis ecclesiasticis intelligendum venit c. *Inter dilectos*. 11, *de Excess. prælat.* et ibi Panormitan. n. 8; Navarr. cap. XXVII, n. 207, ita tamen, ut requiratur sententia Iudicis; uti cum aliis bene advertit Strein *hic* arg. cit. c. *Inter dilectos*, ubi summarium sic habet: « Collatio beneficii indigno facta cassari debet: » et, ut infamia juris existat; quia licet infamia facti a dignitatibus, honoribus, et beneficiis impediatur, actu tamen obtentis non privat, cum privatio hujusmodi nullo juris textu reperitur expressa, uti cum aliis bene advertit Layman, lib. I, tr. V, p. 5, cap. IV, n. 5.

7. *Infamia facti, si constanti publica emendatione aboletur, non impedit obtinere dignitates.* — Ubi ulterius notandum, quod infamia solius facti, et quæ publica, constanti emendatione aboletur, etiam ab obtinendis dignitatibus, hæc honoribus non impediatur. Sylvester. v. *Infamia*. n. 11; Molina. disp. 10, n. 1, Strein. *hic*. et alii arg. can. *Si duo*, 4, cau. 35, q. 6, ibi: « Infames effectos, donec ab incesti facinore desinant, » et can. *Nunquam*. 4, dist. 56, ibi: « Ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat. » Et ratio est, quia infamia facti facto adhæret: consequenter hoc per constantem emendationem abolito cessare debet. arg. c. *Cum cessante*, 60, *de Appellat.*

8. *Procuratoris officium de jure inter munera honorifica non reputatur, bene vero de consuetudine.* — Objicitur contra regulam: Infames ad munus procuratoris admittuntur § fin. *Instit. de Except.* ibi: « Eas vero exceptiones, quæ olim procuratoribus propter infamiam vel dantis vel ipsius procuratoris apponebantur, cum in judiciis frequentari nullo modo perspeximus, conquiescere sancimus: ne dum de iis altercatur, ipsius negotii disceptatio proteletur. » Ergo Resp. Munus procuratoris, nisi principis sit, inter dignitates non computari, sed de jure inter vilia munera reputari. arg. l. *Si quis*. 34, C. *de Decurionib.* Dicitur autem notanter, *de Jure*; quia de consuetudine hodierna, quæ Juri humano prævalet, o. fin. *de Consuetud.* munus procuratorum fere æque honorificum habetur, quam advocatorum, et personas infamia notatas non recipit, uti post Sylvestrum v. *Procuratio*. et Gail. *Prætit.* lib. I. Observat. 43, bene observat Strein. *hic*.



venit 1. *Contra legem*. 29, ff. *de Legibus, senatusque consult.*, etc., ibi : « Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet : in fraudem vero, qui salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit. » et 1. *Fraus enim*. 30, ff. eod. ibi : « Fraus enim legi fit, ubi, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit, » subaudi expresse.

4. *Quadrupliciter fraus legi fieri potest, videlicet de re ad rem.* — Porro juxta Dylum, hic num. 3. Glossam, loc. cit. communiter receptam potest fraus legi quatuor potissimum modis fieri, videlicet de re ad rem; de persona ad personam; de contractu ad alium contractum; de contractu ad eundem contractum, sed alio modo. « De re ad rem fit fraus legi, » quando loco unius rei, in lege expressæ, datur vel substituitur alia res, sed contra intentionem legis. Sic quia in 1. *Item si*. 7, § 3, ff. *de S. C. Macedon.* prohibitum est, filiofamilias mutuum dare pecuniam, ne occasione illius delinquat : in fraudem hujus legis facit, qui loco pecuniæ eidem mutuum dat oleum, vinum, frumentum, etc., ut his distractis pecuniam acquirere valeat. arg. cit. 1. *Item si*. 7. Sic etiam, quia in 1. *Solent*. 6, ff. *de Offic. proconsulis.* et 1. *Plebiscito*. 18, ff. *de Officio præsidis.* prohibetur, ne præsidet, et alii, qui provincias regunt, aut eis præsent, et iudices existunt, accipiant munera, nisi esculenta, et poculenta, quæ intra paucos dies consumi valeant; ibi : « Plebiscito continentur, ut ne quis præsidum, munus vel donum caperet : nisi esculentum, poculentumve, quod intra dies proximos prodigatur : » in fraudem hujus legis, et contra mentem illius facit, qui esculenta, et poculenta in tanta quantitate, et pretio accipit, ut trahi possint ad munerum qualitatem, Dylum, loc. cit. arg. cit. *legib.*

5. *De persona ad personam.* — « De persona in personam fraus legi fit, » quando quis ministerio alterius facit, quod ipse facere licite non potest; quia « Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit, » juxta reg. 67, *de Reg. jur.* in 6, et dicta ad eadem, ubi etiam exempla habes; quibus adde, quod, quia donationes gratuitæ inter virum et uxorem a lege prohibita sunt 1. *Hæc ratio*. 3, § 10, ff. *de Donat. inter virum et uxorem.* ibi : « Sciendum autem est, ita interdictam inter virum et uxorem donationem, ut ipso jure nihil valeat, quod actum est. » juncta 1. *Si sponsus*. 5, pr. ff. eod. ac c. fin. eod. magisque dictum habetur, lib. IV, tit. XX, § 1, in

fraudem legis fiat, si vir, vel mulier alii donat, ut donatum acquirat conjux alter : vel si maritus sibi dandum jusserit uxori suæ dare. arg. cit. 1. *Hæc ratio*. § fin., ibi : « Si donaturum mihi jussero uxori meæ dare ait Julianus, nullius esse momenti. »

6. *De contractu ad contractum alium.* — « De contractu ad contractum alium fraus legi fit, » si loco unius contractus a lege prohibiti, alius contra mentem legis assumitur : ut si maritus prohibitus donare uxori, loco donationis adhibet contractum venditionis, et id, quod uxori donare non potuit, eidem vili pretio vendit, cum alias eam vendere nullatenus intenderit, cit. 1. *Si sponsus*. 5, § 5, ibi : « Circa venditionem quoque, Julianus quidem minoris factam venditionem, nullius esse momenti ait. Neratius autem — venditionem, donationis causa inter virum et uxorem factam, nullius esse momenti : si modo, cum animum maritus vendendi non haberet, idcirco venditionem quidem valere, remissionem autem hactenus non valere, quatenus facta est locupletior. »

7. *De contractu ad contractum eundem, sed alio modo.* — « De contractu ad contractum eundem, sed alio modo fraus legi fit » in casu, quo v. g. mulier, quæ fidejuberi prohibetur, uti patet ex toto tit. ff. *ad S. C. Vellejan.* et ample dictum habetur lib. III, tit. XX, § 1, a n. 18, in se suscipit principalem obligationem, et seipsam constituit debitoricem, cum nihilominus intercedere, et re ipsa fidejuberi censeatur Dylum, et Gloss. loc. cit. arg. 1. *Quamvis*. 8, ff. *ad S. C. Vellejan.*

8. *Ratio regulæ ex jure desumpta.* — Cæterum ratio regulæ, et cunctorum dictorum est; quia universaliter in legibus non nuda verba sed intentio et voluntas legislatoris respicienda est, can. *Humanæ aures*. 11, caus. 22, q. 5, ibi : « Non debet aliquis verba considerare, » intellige, nude et simpliciter : « sed voluntatem et intentionem : quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni : » et « Scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. » 1. *Scire*. 17, ff. *de Legib. senat. consult.* Hinc illud vulgatum : « Ratio legis est anima legis, » prout desumitur ex can. *Consuetudo*. 5, dist. 1, cum concord. Ob quod Abb. Panormit. in cap. *Ad audientiam*. 12, *de Decimis*. n. 2, bene dixit : « Habent se verba, et intentio, seu ratio sicut corpus et anima : nam sicut anima dominatur corpori,

ita ratio legis dominatur verbis. » Quapropter si contra sufficienter notam intentionem mentem, et rationem legislatoris, legem fraudulenter quis interpretatur et servat, vi regulæ nostræ pro transgressore legis merito reputatur; cum fraus et dolus nulli patrocinari debeant, per vulgaria.

9. *Solvitur objectio.* — Objici contra hanc regulam solet; Non alio fine inventa sunt verba et nomina, quam ut mentis nostræ sensum manifestent : ergo illis inhærendum, quamvis videantur dura. arg. 1. *Prospexit*. § 1, ff. *Qui, et a quibus manumissi liberi non fiunt*, ibi : « Quia ita verba faciunt — quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est; » præsertim cum interpretatio verborum legis juxta mentem legislatoris, majoris ponderis esse non debeat, quam propria significatio verborum. 1. *Labeo ait*. 7, § 2, ff. *de Suppellect. legata*. ibi : « Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere. Id Tubero parum sibi liquere ait : nam quorsum nomina (inquit) nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis? Equidem non arbitror quemquam dicere : quod non sentiret, ut maxime nomine usus sit, quo id appellari solet : nam vocis ministerio utimur. » Resp. speciosam quidem, sed minus stringentem esse hanc ex legibus desumptam objectionem; quia nemo negat, verba esse indicia mentis nostræ, eaque juxta propriam significationem accipienda venire, ubi sunt clara et manifesta, et de vero illorum sensu nulla ratio dubitandi occurrit. Verum ubi nuda verborum significatio varia, vel intentioni ac menti dicentis contraria apparet : vel si nudus sensus verborum, ut jacent, aliquod absurdum, iniquum, a recta ratione devians, et ab aliis legibus manifeste reprobatum innuit, utique nudæ hujusmodi significationi non inhærendum, sed ad mentem, voluntatem, et intentionem dicentis, seu legislatoris ex ratione et fine legis, aliisque circumstantiis colligendam necessario, et prudenter recurritur juxta apertos juris textus supra allegatos, quibus claris textibus cum textus apparenter duntaxat, non autem vere contrarii, in objectione positi, juxta responsionem nostram facile concordari possint, eos sic concordare, rationi et juri consonum est : « Cum expediat concordare jura iuribus, et eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari, » c. *Cum expediat*. 29, *de Elect.* in 6.

Finit pontifex Bonifacius VIII, conditas a se regulas juris in Sexto illis verbis :

Data Romæ apud Sanctum Petrum V. Nonas martii, pontificatus nostri anno quarto (1298).

10. *Computatio annorum pontificatus, a die coronationis, non electionis fieri solet.* — Ubi cum Glossa notandum hic v. *Pontificatus*, quod computus annorum pontificatus Romani incipiat a die coronationis, seu consecrationis suæ : non vero a die electionis; quod bene notandum juristis, monet eadem Glossa, ne in computatione contingat error, qualem ibidem ipsamet refert : quamvis et hæc computatio potius ex consuetudine, et solito usu, quam a jure roboretur; cum post canonicam electionem a duabus partibus celebratam, suumque præstitum assensum, vere jam sit pontifex Romanus, prout iterato cit. Glossa bene advertit.

Nos autem præsentem tractatum de *Regulis juris* in Nomine Domini, quo incepimus, finimus, eumque humillima cum reverentia iudicio et correctioni Ecclesiæ catholicæ, quæ fidei, et veritatis, morumque infallibilis regula est, penitus subjicimus, idque, quod ipsa eo rejicit, et improbat, nos quoque rejicimus, et improbamus : immo pro non scripto, aut dicto haberi volumus, unice optantes, ut cuncta ad majorem DEI gloriam, quam præcipue intendimus directe, ac indirecte cedant.

### CAPUT III.

#### Seu appendix de regulis juris civilis.

Juxta promissum, in frontispicio et præmio, subjungimus hic appendixem, et caput tertium de *Regulis juris civilis* pro compendiosa notitia præsertim eorum, quibus *Corpus juris civilis* non semper ad manus est. Et quidem pro commodiori usu ponimus illas prius eo ordine, quo in *Digestis*, lib. I, tit. XVII, positæ sunt, dein etiam ordinem alphabetico.

Sequuntur ergo *Regulæ juris civilis* eo ordine, quo in jure, citato loco inveniuntur positæ.

1. *De regula.* — Regula est, quæ rem, quæ est breviter enarrat. Non ut ex regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, regula